

2  
1  
20  
24  
3  
31  
32  
33  
34



1666.

26. Schmi delius, Joh. : De consensu imperii  
et obsequii in republ. Rom. Germanicae.
27. Schroeter, Ernestus Fridericus : Id quod justum est et  
necessarium in momento
28. Schroeter, Ernestus Fridericus : De agris.
29. Schroeterus, Ernestus Fridericus : De remediis tollendi  
liberum vinturritatem in processu civit. prima ac  
secunda instantia.
30. Schroeter, Ernestus Fridericus : Appplicationis Tit. 8, 9, 10,  
lib. II. fens. ac ad haec spectantes nobiliores controvers.  
sive succincte resolutae
31. Schroeter, Ernestus Fridericus : De crede seu honesto die
32. Schroeter, Ernestus Fridericus : De relictis arbitrio  
judicis.
33. <sup>610</sup> <sub>=</sub> Schwaner, Augustus Adamus : De actionibus in rebus  
scriptis
34. Schwaner, Augustus Adamus : De feudi cessionis adjutorio.

1666.

- 35<sup>a, b</sup> Sturms, Georgius Adamus : De jure colonariorum hinc  
coloniae non perpetuae sed simpliciter 2 Sempl.  
1666 & 1719
- 36<sup>a, b</sup> Sturms, Georgius Adamus : De consensu.  
2 Sempl.
37. Sturms, Georgius Adamus : De iudiciis cum annexis  
quaestio de proba per aquam frigidam sagarum.  
Rec. 1714
- 38 Sturms, Georgius Adamus : De lucro.
39. Sturms, Georgius Adamus : De aquae ductibus.
- 40 Sturms, Georgius Adamus : De societate.
- 41<sup>a, b</sup> Sturms, Georgius Adamus : De actibus et contractibus  
correspondentibus 2 Sempl. 1666 & 1755.
- 42<sup>a, b</sup> Sturms, Georgius Adamus : Characteres status. P.  
Rom. Germ. imperii.
- 43<sup>a, b</sup> Sturms, Georgius Adamus : De pactis renunciatiuis  
2 Sempl. 1666 & 1733.


1666

44. Saenger's leg. 10. P. sejus's dictione

45. Tölemann, Borchers & Heuser: Tura vigilantibus  
sunt scripta.

46. Tronckhusius, Geringius: Utro fiat, quod animalia  
quaedam directa d'n. noveantur, quaedam vero  
noveantur?

47. Winheim, Petrus Harbordus: De jure salvi  
conductus.





474.  
1666, 143<sup>to</sup> 25  
DISCEPTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA;  
DE

# PACTIS RENVNCIATIVIS,

*Ex c. quamvis 2. de Pactis in VI. § l. fin. C. eodem.*

Oder:

**Von Vossagungs- Vergleichen in Erbschafts-  
und andern Fällen; wie sie einzurichten; und wie weit  
solche in denen Rechten gültig.**

QVAM,

INCLYTO ICTORVM ORDINE DECERNENTE,  
IN ILLVSTRI PROPTER SALAM ACADEMIA,  
PRAESIDE

VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CON-  
SVLTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,

**DN. GEORGIO ADAMO STRVVIO,**

HEREDITARIO in Uhlstett, ET Wenigen-Jena, ICTO ET ANTE-  
CESSORE LONGE CELEBERRIMO, CONSILIARIO  
SAXONICO EMINENTISSIMO, CVRIAE PROVINCIA-  
LIS VT ET SCABINATVS ADSESSORE MERITISSIMO,  
FACVLTATIS IVRIDICAE SENIORE  
GRAVISSIMO,

PATRONO, PROMOTORE AC PRAECEPTORE SVO OMNI  
OBSERVANTIAE AC HONORIS CVLTV PERPETVO DEVENERANDO,  
PVBLICAE LITERATORVM CENSVRAE IN ICTORVM SY-  
NEDRIO HORIS CONSVETIS PRAESENTAT

D. FEBR. ANNO C. clō Ioc LXVI.

CONSEQVTVRVS DOCTORALIA IN VTROQVE  
IVRE AGONISMATA ET PRIVILEGIA,

**BVRCHARD HENRICH TILEMANN,**

PRAVENBRISNICENSIS.

LENAE, Recus. apud IO. BERNHARDVM HELLERVM, 1733.

PACTIS RENUNCIATIVIS

...

...

...

...

...

...

...





L. N. D. N. I. C.

DISPUTATIONIS INAUGVRALIS  
DE  
PACTIS RENVNCIATIVIS  
PRÆFAMEN.



Multi, quamvis hodie hæreditatem triplicem esse dicant, *Testamentariam, Legitimam & Conventionalem*, rectius tamen, quia omnes species hæreditatum non exhaurit ista divisio, à modis, quibus vel jure ordinario vel ἀνωτάτως defertur in universum duplex jus hæreditarium, *Ordinarium & Extraordinarium* & unumquodque deinde horum quadruplex esse puto; Magnif. DN. STRVVE JCtus, cujus laudis & orbis finis idem erit, Patronus, Præceptor atque Præses meus, singulari observantiæ & honoris cultu perpetim cølendus, *Synagmate Jurisprud. Exerc. 38. tb. 46.* Jus enim ordinarium dividimus in *Testamentarium, Legitimum in specie sic dictum possessorium & Fidei commissarium*; Extraordinarium vero seu Conventionale quod ἀνωτάτως venit ex pacto successorio, in *Acquisitivum, Conservativum, Dispositivum*, (quæ pacta De. affirmativa, & *Renunciativum* (quod negativum vocant) Est autem pactum. acquisitorium, Conventio de ipsorum met paciscen-

tium vel alterius tantum vel utriusque hæreditate, sibi vel aliis acquirenda, & de hoc pacto agit Cothm. 3. Confil. 44. n. 37. Gail. 2. obs. 127. n. 2. & sunt hujuscemodi, pacta conjugum de futura successione pactum in bonis prolium, vulgo **Ein-Kindschafft** / dadurch die Stieffelter n vor rechte Eltern / Stieffkinder vor rechte Kinder eingesetzt werden / pactum confraternitatis die Erbverbrüderung / & pactum Ganerbinatus die Ganerbschafft. Pactum Conservativum est, quando paciscimur, ut obstaculum impediens hæreditatem removeatur, & ita jus succedendi pristinum conservetur, de hoc pacto vide sis *Museul. de succ. convention. clas. 1. conclus. 3. Lit. o. Daub. de test. num. 105.* Pactum dispositivum alias dividendæ vel disponendæ hæreditatis est, quando de hæreditate tertii viventis dividenda, vel certum in modum disponenda paciscimur; de hoc pacto latius agit *Dn. Habn. Tractat. de jure rerum cap. 14. concl. 78.* Pactum autem Renunciativum est, quando quis animum omittendi, successionem futuram Jurato declarat: hujus itaque pacti materiam quum & in Magnatum, Illustrium, atque Nobilium Familiarum successionibus sæpissime non exiguum habeat usum, & etiam hæctenus, quoad Ego memini, in nulla disputatione publice pro dignitate tractata legatur, omissis tribus prioribus pactorum generibus, quæ alias sans superque illustrata à multis Dd. reperiuntur, pro ingenii viribus ea qua fieri proterit brevitate in forma disputationis solennis proponam. Ut autem iusto hoc fiat ordine, sequentes disputationis constituam Sectiones: I. Pacti Renunciativi Etymologiam, Synonymiam, Definitionem & Divisionem exponet. II. Personas Pacificentes exhibebit. III. Objectum demonstrabit. IV. De Renunc. Qualitate & Modoaget. V. Pacti Renunciativi effe-

\* (5) \*  
effectum demonstrabit. Cui labori nostro, ut DEus Ter.  
Opt. Max. secundum cælestem gratiam ex alto benedicat  
intimis votis & suspiriis contendimus per Jesum Christum  
Filiū Dei Unigenitum.

## SECTIO I.

D E

### ETYMOLOGIA, SYNONYMIA, DE- FINITIONE, ET DIVISIONE.

**U**t subtilem de Renunciatione pactorum confusam ac  
permixte hæctenus tractatam materiam ea qua par est  
methodo elaboremus & expoliamus, solenne nostrum ob-  
servaturi considerabimus eam primo omnium secundum  
datam dispositionem in genere qua definitionem tam No-  
minalem quam Realem: Definitionis Nominalis tractatio  
prænotialis est, & absolvitur enodatione Etymologiæ, Æ-  
quivocationis & Synonymiæ. Perspectione Etymologica  
neglectui hic habita Renunciationis vocabulum ab æqui-  
vocatione sua liberabimus. Observandum ergo non unius  
generis esse hujus vocabuli acceptionem: accipitur enim  
interdum, ut observavit *Guilielmus Budæus*, *Spigelius*, pro  
testimonii genere quod edere solent Architecti & Magistri  
unius cujusque officii quod Germani vocant *Eine Weis-  
sung* / interdum pronunciatione, v. g. Novi operis *l. 16. ff.  
de nov. oper. nunt.* interdum pro designatione, sic diceban-  
tur Magistratus, qui voce Præconis in campo declaraban-  
tur suffragio populi, designati, ut *Cicero 7. in Verrem* & *2. in  
Rullum* & *pro Mil.* & *Gellius l. 12. c. 8.* ostendunt, interdum  
etiam pro relatione sicuti renunciare legationem, pro re-  
ferre, nuntiare, quod fit in legatione effectum vulgo, *Rela-  
tion thun*. Tandem scopō nostro convenienter sumitur

A 3

pro

pro refutatione, abdicatione, remissione vel repudiatione; Renunciatio, inquit *Afconius*, dicitur recusatio ejus rei, quæ in pactum & promissionem venerat, hinc renunciatio sponsaliorum & nuptiarum, cum sponsalia nuptiæque dirimuntur. *l. 2. ff. de divort. l. 1. C. de Spons. l. quæsitum 17. §. fin. ff. de reb. aut. jud. possid.* hinc quoque renunciatio pactorum *leg. fin. C. de pact. C. quamvis de pactis in 6to*; quando autem dixi, quod renunciatio idem sit ac repudiatio non est putandum, ac si ego nullam plane differentiam inter illa duo vocabula statuerem, utique enim stante nostra hypothese renunciatio à repudiatione differt in hoc quod hæc soner in executionem facti præsentis & importet abdicationem ejus juris quod jam quis habet *l. 1. §. 7. ff. de success. edict. l. 45. §. 1. de legatis 2.* illa autem ad jus nondum quæsitum & futurum etiam referatur. Germanis dicitur die *Verzicht* / *eine Auflassung und Begebung seines Rechts*; Synonyma Renunciationis voculæ in ultimo significatu acceptæ nulla fere offendimus, nisi quod pro renunciare cedere & repudiare poni videamus, hinc *Spigelius*: cessio, inquit, etiam dicitur id quod renunciationem vocamus. A Definitione nominis transeo nunc ad Definitionem rei, quæ licet varie hæctenus adornari consueverit, commodissime tamen ita definiri poterit: *Quod nihil aliud sit, quam successionis futura ex libera voluntate mediante corporali juramento ut plurimum à famellis in gratiam masculorum facta remissio. C. quamvis de pactis in 6t. Magnif. Dn. Struve exerc. dicta 38. sb. 50. D. Han. d. tract. e. 18. conclus. b. 84.* notanter dixi (1) *successionis futura* delata enim successio ad sui substantiam juramentum non requirit sed simplici consensu perficitur propter *legem fam. 1. C. de pactis leg. 11. ibique Dd. C. de transact.* (2) *ex libera voluntate* hoc enim commune habet cum alijs

aliis etiam conventionibus in quibus homo voluntatem suam libere interponere debet, nam si metus, vis, vel alia intercesserit iniquitas in quam filius vel filia consensisse non praesumitur, pactum hoc subsistere non poterit per ea, quae infra dicturi sumus. (3) *Mediante corporali juramento*, quia alias hujusmodi pacta, paucis casibus exceptis quos vid. in l. fin. C. de pact. l. 9. C. eod. l. 3. §. 2. ff. pro socio, non essent firma. Nam quemadmodum hereditas pactis dari nequit (de viventis enim hereditate pacisci jure Civili non licet) ita neque iisdem adimi, nam ut danda ita & ad menda certi modi jure positivo sunt praescripti. (4) *Ut plurimum à femellis* nam etiam à masculis aliquando, praepriis Nobilibus, ne bona paterna alienae aggregentur familiae, successionis renunciacionem interponi, exempla non desunt licet sint rariora (5) *in gratiam masculorum*, intellige *ὡς ἐν τῷ πλεῖστον*, nam aliquando etiam in sororum favorem renunciaciones interponi passim ex Dd. consiliis perspicere licet, & est causa haec, ut illae postmodum eo citius & honestius elocari queant, quod ut plurimum ab iis, quae monasterium ingrediuntur, fieri solere ostendit *Kessenbenz* Tract. de Renunc. quest. 1. Dixi tandem *Remissio*, renunciatio enim in se regulariter liberationem habet leg. 115. ff. de reg. Juris Dyn. consil. 6. num. 6. Socin. consil. 91. num. 5. tollit namque una cum successione omnia ea jura quae puellae alias proderant. Haec de definitione paucis, prolixiores enim in explicandis singulis vocabulis non erimus, sequentia enim ut puramus lucem iis foenerabunt. Ut autem sciamus quotuplex sit Renunciatio ista, sciendum, quod sit *vel Generalis vel Specialis*. Generalis est, quando in universum hereditatis Specialis, quando certae parti renunciatur *Magnif. Du. Struve Exerc. 38. th. 50. in Med.* Ex hac Divisio-

ac &

ne & quidem ex primo membro fluit nobilis ista quaestio :  
 an sub Renunciatione Generali renunciatum quoque sit le-  
 gitima & alimentis ? In hac quaestione mire fluctuant Dd.  
 poterit tamen cum *Magnif. Dn. Struvio* ita distinguendo  
 congrue responderi ; vel enim renuncianti dos constituta  
 & data est vel non ; illo casu & legitima & alimentis re-  
 nunciatum censetur, cum dos sit loco eorundem *Gail. 2.*  
*obf. 147. n. 13. & 14. Gutierrez de jur. confirmat. l. 1. cap. 19. n. 3.*  
*Oldendorp. 5. clas. 3. n. 4. Dn. Carpzov. d. 2. cap. 35. Magnif.*  
*Dn. Richter 7 Citus famigeratissimus Juridica facultatis Ordini-*  
*arius & b. t. XV. Decanus part. 1. d. 69. num. 15. Dn. Hahn.*  
*d. t. conclus. 84. num. 16.* Hoc vero casu non item, cum ju-  
 re naturae debeantur & sine dote data *d. c. quamvis ibi dote*  
*contenta* : iis renuntiari nequeat *Natt. d. c. num. 45. Data.*  
*ibid. n. 47.* nisi specialiter iis renunciatum fuerit, tunc enim  
 aliud dicendum erit *Gutierrez* in *d. c. Cum omnino n. 6.* in  
 fin. putamus hinc *Vasquii* Sententiam esse veram, qui juri  
 alimentorum renuntiari posse, si videlicet expresse, sicut  
 monui hoc agatur, statuit ; Nam sub renunciatione suc-  
 cessionis non venire renunciationem alimentorum ipse  
 tenet, *de succes. resolut. lib. 3. ad d. l. si quando §. illud.*  
*num. 19. Joann. Roy de succes. cap. 21. num. 79. vers. 25.* imo  
 nequidem renunciationem legitima juxta communem  
 sententiam ; illum itaque faciendo ampliationem & illa-  
 tionem & adducendo dicta interpp. minime halucinatum  
 fuisse puto, uti quidam statuunt, à renunciatione n. succes-  
 sionis futura ad renunciationem alimentorum filiae debi-  
 torum illationem posse fieri, nemo qui omnia membra  
 distinctionis à *Baldo* proposita & dicta interpp. novit ac re-  
 cte cupit intelligere, negabit ; ita autem *Baldus in l. pactum*  
*n. 25. C. collat.* distinguit : aut enim loquimur de alimentis

tis



tis præteritis & illis potest renunciari ratio est quia non amplius se habent ut alimenta, postquam vita aliunde tempore præter lapso sustentata est *B. Dn. Franz. tit. de Transact. n. 19. Magnif. Dn. Praeses Exerc. 6. tb. 58. Dn. Schnobel Disp. 2. tb. 29.* aut de futuris & tunc iterum refert, utrum proveniant ex ordinatione hominis, aut legis sive naturæ. Si ex hominis ordinatione proveniant, tum aut ex mero contractu debentur, & potest renunciari, minus enim faveatur contractui, quam ultimæ voluntati, ut docet *Bart. in l. cum bi n. 4. ff. de transact.* aut debentur ex ultima voluntate & non potest cum juramento renunciari, ita quoque sentit *Bart. d. l. cum bi n. 7.* Verum contrarium in hoc puncto tenet *Jason. d. l. de alimentis 8. n. 3. Joann. Pontan. in tract. de alimentis c. 6. n. 4.* Sed, ut mihi videtur, hi argumentantur à particulari ad universale, ubi consequentia non valet: sunt enim casus, non negamus, quibus citra Prætoris etiam auctoritatem pactum & transactio de alimentis ultima voluntate relicta, procedit nempe (1) *in leg. 8. §. 6. ff. de transact. Vinnius tractat. de transact. c. 6. n. 17. & 18.* (2) *in d. l. 8. §. ultimo. idem n. 19.* (3) *in d. l. 8. §. penult. idem n. 20.* (4) etiam secundum jus Canonicum *argum. c. quavis de pactis in 62.* exinde tamen non est concludendum: ergo semper. Regula enim juris est æternæ veritatis de alimentis ex testamento pendentibus neque pacisci neque transigi posse, nisi causa cognita, & Judicis decreto interposito. *l. 8. ibi Cyn. Bart. Bald. Angel. Salyc. Dec. Alciad. Donell. & alii C. de transact.* omnium luculentissime tamen *Ulpianus in d. l. cum bi. 8. ibique Dd. ff. eodem tit. Menoch. de Arbit. judicis l. 2. cent. 2. cas. 170. Petr. Adven. Reg. 186. Joann. Garf. in tract. de expensis & melioration. c. 3. n. 38.* si vero ex legis aut naturæ ordinatione proveniant, renunciatio, etiam si jurata,

B

non

\* ( 10 ) \*  
non tenet, ita *Bald. & Imol. in d. l. ubi etiam adjiciunt, forte idem esse in dote, cum illa videatur loco alimentorum succedere. Natta d. c. quamvis n. 45.*

## SECTIO II.

DE

### PERSONIS, QVAE RENVNCIARE POSSVNT.

**M**erito de personis, secundo agimus loco: monitorem enim ipso *Justiniano in §. fin. Instit. de J. N. G. & C. parum est jus nosse, si persona, quarum causa jus constitutum est, ignorentur*: Regulam autem Juris antiqui proponit *Justinianus in l. penult. C. de pactis*, omnes licentiam habere his quæ pro se sunt introducta renunciare: quam generalem omnibusque in casibus obtinere fancivit in *l. 51. C. de Episcopis & Cler.* Nec sane id sine prægnantissima juris & æquitatis ratione, quæ non patitur, ut ea quæ salubriter pro utilitate hominum introducta sunt, contra ipsorum commodum producantur. *l. 22. ff. de leg. §. 42. vers. nihil enim J. d. R. D. l. 21. C. Mand.* Videamus itaque de personis ad paciscendum habilibus, quæ duplicis sunt generis: sunt enim *1. qui promittunt 2. quibus promittitur.* Mafculos autem & foeminas promittere posse non difficulter colligitur ex *d. c. quamvis d. pact. in 62.* & communem hanc esse sententiam testatur *Zafius in leg. Stipulat. hoc modo n. 28. vers. prædictam conclusionem ff. de verbor. obligationibus, & magis communem dicit, atque sequitur Covarr. d. c. quamvis p. 3. §. 1. n. 1. contrarium tamen tenet Carol. Molin. ad Alex. consil. 180. verbo juraverit l. 5. qui mafculos renunciare non posse exinde putat, quod in illis cesset ratio finalis renunciationum; unde*

Unde & studiosum ob sumptus studiorum eo liberius suppe-  
ditandos hereditati paternæ renunciantem postmodum ex-  
ceptione pacti repelli non posse concludit. Verum licet  
ratio hæc dubitandi non sit de nihilo, filium tamen quan-  
doque renunciare efficaciter posse, & verius, & dicto in  
casu ob vim juramenti tutius est. *Gutierrez in d. c. quamvis  
verbo. filia n. 4. addatur Dn. Carpozov. in Jurisprud. forensi  
p. 2. c. 35. d. 8. & 9. Fallit ergo sententia Carol. Mol. (1) in pa-  
tre aliquid pro præmio emancipationis suscipiente & fa-  
ciente pactum filio de non succedendo l. 1. S. si parens ff. si à  
parente quis manumiss. ita Glossa & Dd. hic Natta n. 1. & 117.  
Covarr. p. 3. §. 4. n. 10. (2) fallit in filio naturali legitimato  
tempore legitimationis patre faciente pactum de non suc-  
cedendo, Cast. d. l. pactum n. 5. dicens se cum pluribus ita  
consuluisse Zaf. in d. l. stipul. hoc modo n. 45. v. ultimo fallit,  
ubi addit, quando Imperatores & Comites Palatini legitimant,  
id illos intelligi facere, ita ne legitimis liberis præjudicium fiat.  
Natta hic n. 2. (3) fallit, si filius pactum renunciativum faci-  
ens tantum acceperit à patre, quantum valet sua legitima,  
quam secundum facultates & dignitates personarum æsti-  
mandam juber Carol. IV. *Aur. Bull. c. 24. §. Dem veni  
anderer Fürstenthume etc. in fin. confer. Arnisaus 2. de Rep.  
c. 2. sect. 9. n. 27. & seqq. (4.) tandem fallit, si filius donati-  
oni propter nuptias ex recepta forsitan consuetudine, vel  
alia de causa, ut ostendit Gutierrez in d. c. summ. à filia n. 4.  
aut frater natu minor in favorem primogeniti pro confer-  
vando familiæ splendore, Bachov. ad Treutl. disp. 6. thes. 8.  
in fin. vel natu major, minori natu, quemadmodum vide-  
mus in Esavo, qui fratri juniore Jacobo jus primogenituræ  
cessit, renunciaverit. Primogenitum autem Juri primoge-  
nituræ renunciare posse, multis docet & probat Andreas**

*Tiraquell. de Jureprimogenit. q. 24. ceteris tamen paribus, juxta ea, quae tradidit Carol. Molin. ad consuetud. Parisi t. 1. §. 8. Glossa. 3. n. 6. 26. 27. 28. nam Jus primogenituræ competens ex privilegio facilius tollitur quam Jus commune. l. 35. §. si militiæ ff. de testament. militari; In alia sententia est Ca- cheran. decis. 100. n. 39. qui hoc exemplum de Elavo huc non pertinere ait, quod Jus primogenituræ apud Judæos non respexerit successionem universalem, sed certas tantum prerogativas, qui, quid de hac opinione sit sentiendum, scire cupit, potest consulere Corsetum de potestate Regiæ part. 5. n. 74. Ut vero in dictis casibus efficaciter renunciare possint filii, requiritur insuper, ut ad renunciandum non sint inhabiles: inhabiles autem sunt alii, vel ob defectum Judicii, vel ob infirmitatem, vel propter alias causas. Sic ob defectum Judicii non poterit renunciare (1) infans, si quis enim filius adhuc est infans, illud quod fatur, non tantum ipse non intelligit, sed nec ab aliis intelligi aperte potest, cum verba ejus sint imperfecta, mutila, distorta, ab infan- do enim quasi sin- fando nomen habet Gaddæ ad l. 217. n. 5. d. V. S. (2) furiosus (non loquimur hic de eo, qui forte obtusior sit, stupidioreve, sive paulo crassioris genii & ingenii, sed de illo, qui cum ferocia & horrenda actionum vehementia demens est: Fromann de jure furios. sing. p. 1. num. 8.) cum enim in hoc actionum humanarum principia, intellectu scilicet & Voluntas tanquam obligationum causæ deficiant, consequens est, eos nec alios sibi civiliter nec se aliis naturaliter obligare posse, nisi ex re ipsa veniat obligatio. l. 3. §. 5. ff. de negot. gest. Renunciationem autem dilucidis infantiæ intervalis factam subsistere posse non est cur ambigamus: l. 2. C. de cont. empr. cum eo tempore in plerisque odiosis non minus atque favorabilibus pro sanis habeantur,*

Paul.

*Paul. Zach. quæst. med. legal. l. 2. tit. 1. quæst. 21. 22. 26.* Eidem censui subijcimus (3) *prodigum* juridice talem cui scilicet bonorum interdicta est administratio *l. 6. de V. O.* nam nec huic suo juri renunciare conceditur, non quidem ob defectum facultatis intelligibilis, sed voluntatis & animi vitium, vel ut multa paucis complectar quod moraliter consensus deficiat hinc etiam est, quod in jure nostro cum furioso comparari soleat: nam ut illi sana mens; ita huic sani defunt mores. *l. 1. de cur. furios.* unde furiosum etiam exitum facere dicitur *l. 12. de tut. & curat.* in hoc tamen à Furioso differe, quod alios sibi efficaciter obligare possit, cum in acquirendo conditionemque suam meliorem faciendo prodigi non sunt. *l. 3. ff. de novat.* Referendi huc & alii modi, qui modo enumeratis ob mentis, quod patiuntur, exilium æquiparandi, quales sunt, *extreme ebrii*, in quibus, nec pes nec manus suam potest facere officium sicut loquitur *Terent.* Ob infirmitatem quoque judicii inhabiles sunt *impuberes & pupilli*, quale enim tunc est ejusmodi ætatis judicium? Fragile sane &, ut loquitur *Cicero*, sua sponte infirmum: *arg. l. 17. §. 1. de jur. jurand.* sine tutoris autoritate itaque non obligantur, & quidem tanto minus in hoc renunciationis actu, quo de maximo ipsorum agitur dispendio; *Prim. Inst. de Aut. tut. §. fin. quibus alienare licet etc.* item minores curatorem habentes: quamvis enim magis in iis sese exerat judicium & utilis vel inutilis cognitio, *l. 7. princ. & §. ult. de minor.* quia tamen non est sufficiens, autoritate curatoris juvandum erit, qua accedente adeo suppletur, ut ipsi omnia intelligere & per consequens etiam omnia negotia agere posse videantur. Reliquas non adducam causas brevitatis ergo, quia alias sunt in apriço præter hanc unicam, scilicet *An Judæi & reliqui Infideles hujusmodi*

*Jusmodi pactum possint contrahere & ex renunciatione ista firmiter obstringantur?* Ratio dubitandi fuit ex definitione nostra in sectione 1. ubi renunciationem futuræ successionis non aliter subsistere diximus, quam si fuerit juramento confirmata, quod eam ob causam principaliter servandum venit ne ex contraventione & perjurio anima jurantis periclitetur *c. si vero. c. cum contingat. X. de jure jurando c. quambis de pactis in 6t.* in ejusmodi autem personis nulla animæ perditio considerari potest, cum jam antea sint perditæ *per xxx. expres. in titul. X. de judæis & iit. de hæreticis.* Deinde juramenti materia tanquam res spiritualis Papam ejusque cognitionem respicit *c. novit. X. de Judæis c. Venerab. X. de elect. c. fin. de foro compet. in 6t.* at hic Hebræos in iis, quæ animæ periculum respiciunt, non cogit. *C. qui sincera. c. de Judæis distinct. 45.* constitutiones enim Canonica tantum ligant subditos Ecclesiæ. *c. gaudemus 13. X. de divorc.* Accedit & hoc, quod vincula sacramentalia non cadunt in eos, qui non sunt de Sacro ovili, *Marantb. in suo Speculo p. 3. n. 55.* Denique & hoc scrupulum movet, quod hæreticis in genere omnis contrahendi & paciscendi facultas de jure adempta videatur *per text. in l. Manicheos §. præterea C. de hæret. & Maniche.* Consequenter ergo & renunciandi. Et in hac quidem sententia nonnulli ex Veteribus Jure Consultis fuerunt, sicuti *Rom. Consil. 155. in fin. Natta in d. c. quamvis n. 18. Bened. in c. Renuntius in verbo duas habens filias n. 289. X. de testam. Corn. consil. 37. n. 6. volum. 4.* nonnulli vero distinguendum putarunt: Judæusne cum Christiano contractum de jure nullum mediante juramento perficiat; an vero soli Judæi & Infideles invicem paciscantur: priori in casu obligationem ratam esse non ratione periculi animæ, cum Ecclesia de hoc minime sit sollicita:

sed

sed tantum ne Christianum decipiat, & melioris sit conditionis quam Christianus; posteriori minime: cum enim jus Canonicum hac in parte animas infidelium non consideret, & consequenter etiam eorum juramenta non respiciat, remanent eorum obligationes in terminis juris civilis, quod minime concedit, ut valeant, licet juramentum iis accesserit, *l. pact. dotal. C. de collat.* Nobis tamen veritati propior videtur *Panormitani in c. Etsi Christus n. 14. X. de jure jurand.* sententia statuentis, etiam hasce personas posse obligationibus infirmis adhibito juramento conferre robur propter Generalitatem *in d. c. quamvis*, cum præterea etiam personæ hujusmodi non exemptæ; sed potius, ut Sacra Scriptura per exemplum Patriarchæ Jacob, qui à Socero suo Laban idololatra juramentum receperat, declarat expresse, admittæ habeantur: A juramentorum ergo præstatione infideles (ubi non Ethnicos & eos, qui omnino falsos, sed qui etiam verum DEVM Creatorem cœli & terræ, licet aliis ac nos ceremoniis ritibusque venerantur, comprehensos volumus, licet allatum exemplum Patriarchæ Jacob obstare videatur, qui à Socero suo Laban, ut dictum, per Deos Nahor juramentum receperat) excludere non poterimus: hanc enim sententiam juramenti virtus satis comprobat, hoc enim eo principaliter tendit ut per id confirmetur veritas & fides humana, sicut *Tarsensis Apostolus in Epist. ad Hebræos c. 6. loquitur*, quæ confirmatio ex eo procedit, quod Numen divinum in testem vocatur perjurantique vindex constituitur: at nemo tam perversi ingenii præsumitur esse, ut DEVM, quem colit, veneratur atque metuit, à quo etiam omnem prosperitatem avidè expectat sit hac in parte fraudulenter decepturus, seque ea ratione divinæ ultioni subjecturus. Quod ergo cum

cum sola efficiat Religio, ejusque venerationi non minus infideles, quam Christiani studeant, sequitur inde, æque per istos atque hosce promissionem Sacramento fieri posse; unde etiam est, quod in Camera Imperiali Judæi ad juramentum judiciale suppletorium admittantur, ut habet *Mysing. observ. 6. cent. 5. hucusque de Masculis*. Fœminæ autem quin renunciare possint, dubium esse nequit, per textum expressum *in d. c. quamvis*, ut non interfit sive sint majorenes sive minorenes *Dd. in d. c. quamvis, ibi Natta n. 27. & Covarr. p. 3. in princ. n. 3. v. 7. Sed de impubere quaeritur, an etiam possit renunciare?* statuunt hoc nonnulli; sed non indistincte, scilicet si doli sit capax, *Dd. in d. c. quamvis ibi Natta num. 28.* qui utriusque partis fundamenta refert, *Bart. in Auth. sac. pub. n. 9.* quæ sententia juvatur per elegantem doctrinam *Castrensis in d. auth. sac. pub. n. 8. c. si adversus vend.* ubi eleganter docet, quid jus canonicum ad jus civile addiderit. *Simoncell. de decret. l. 3. tit. 8. num. 139.* qui hoc dogma latius declarat: Verum quicquid sit, hanc sententiam falsam dicit *Bald. d. l. pactum n. 2.* & contrarium plures alii tenent. Nam etsi communis *Dd.* opinio sit, juramentum præstitum ab impubere doli capace proximo pubertati validum esse & obligationem inducere *Matth. de Afflict. decis. 322. n. 45.* aliud tamen plane dicendum videtur, ubi de ætatis defectu supplendo atque de contractu invalido confirmando agitur: non enim tale juramentum utrumque effectum præstat, ut videlicet & impuberem puberem repræsentet, & pacto renunciativo robur adjiciat. Sed duplex juramentum foret, necessarium unum de non contraveniendo, ratione minoris ætatis; alterum de observando pactum & non contraveniendo quacunque alia ratione: hæc est communis *Dd.* sententia *in auth. sac. pub. c. f.*



*C. si adversus vend. quam ibi probant Bart. n. 14. Ailberic. de Rosat. n. 14. & alii, latissime tamen Simoncell. de decret. l. 3. tit. 8. n. 206. usque ad finem illius tituli.* Cum ergo constet de impuberibus, & etiam de minoribus dubium nullum sit, consequens nunc est, ut etiam de beneficiis minorum, quæ renunciationibus regulariter Jus largitur, aliquid dicamus. De hisce igitur jurium beneficiis num puellæ renunciantes certiores reddendæ sint, in disputationem vocari solet? Et quidem *Cin. in l. 2. num. 6. C. de rescind. vend. & Sicbard. in autb. sac. pub. n. 21. C. si advers. vend.* hoc fieri debere existimant, cum nemo censeatur remittere id, quod sibi competere ignoret. *c. 16. X. de jurejurand. Guido decis. 274. Gail. 2. obs. 41. num. 2.* Minores autem de suo beneficio nimirum restitutionis nihil scire præsumuntur *l. 2. in fin. ff. de jur. fisci, Grav. Consil. 192. num. 5.* ubi expresse dicit, minori erranti in jure perinde subveniendum, ac si errasset in facto *per leg. 29. ff. de condict. indebit.* sic mulier, cum qua minor in jure æquiparatur, pro aliis intercedere annuens ex fidejussione sua non obligatur, nisi de beneficio **SCTI Vellejani** probe instructa fuerit, eique ex certa sententia renunciaverit *l. 9. C. ad SCTVM Vellejan. Gail. 2. obs. 77. num. 2.* adeo quidem ut intercessio, omiſſa certioratione facta, sit ipso jure nulla. Verum enim vero quicquid horum sit hac in parte nulla opus esse certioratione frequenter obtinuit, *Guido. decis. 227. in fin. Gometz Var. resolut. l. 2. c. 13. num. 17. VVesfenbecius consil. 23. num. 53. & consil. 52. num. 33.* Potest autem quis renunciare vel per se & in propria persona vel per alios speciale mandatum habentes *arg. l. 17. §. fin. ff. de jure jurand.* quod enim quis per alium facit ipse fecisse intelligitur *Hein. Breuleus, tractatu de renunciandi receptio more modoque, & ita in tota*

ferme Germania obunere, ut tam filia quam ipsarum nomine mariti & consanguinei renunciationem faciant, testatur *Cothmann. 2. Respons. 99. num. 103. & seqq.* & tantum de iis qui promittunt. Sequuntur nunc Personæ quibus promittitur seu cum quibus initur: Initur ab hoc pactum vel cum eo de cuius hæreditate, quæ aliquando obventura agitur, v. g. à filia cum patre & matre, vel cum eo qui futurus esset coheres, v. g. cum fratre, aut alio, modo tunc ille de cuius agitur hæreditate consentiar; unde etiam secus quam *Dauth. in d. c. quævis num. 36 facit* colligimus licet soror Fratri renunciationem faciat patre consentiente, pactum tamen hoc nihilominus renunciativum esse & negativum ratione sc. renunciationis, cum principaliter hoc agat ne succedat, licet per accidens dispositivum & affirmativum dici possit: *Dn. Hahn. d. l. quod autem dicitur* filiam posse inire cum patre huiusmodi pactum, intelligunt plurimi de filia emancipata; cum vero hodierno seculo jus patriæ potestatis non ita solenni emancipationis ritu solvatur; sed in tempus usque nuptiarum regulariter subsistere intelligatur: Quæri jam potest; an parens à filia in sacris adhuc ipsius subsistenti pactum huiusmodi renunciativum recipere valeat? Quod æque asserendum videtur, propter verba *C. quævis de pactis in 6r.* quæ generaliter loquuntur, & propter ea etiam generaliter de omnibus liberis intelligenda: ad ea enim potius debet aptari Jus, quæ & frequenter & facile quam quæ perraro eveniunt *l. 3. & 5. ff. de legibus*; plures autem liberi sacris parentum subiecti, quam ab hisce emancipati conjugia petunt, idcirco hic emancipati solum intelligi non possunt. Verum enimvero huic sententiæ solet adhuc obstare, quod filius & pater eadem de Jure habeantur persona & quando  
de ac

de acquirendo agitur vox filii intelligatur vox Patris §. *post mortem Inst. de inutil. stipulat.* Et propterea obligatio tam naturalis quam civilis statim patri acquiratur ita ut nec per momentum apud filium maneat *l. 79. ff. de acquirenda hered.* & consequenter fieri non posse, ut obligatio aliqua inter patrem & filium in potestate hujus existentem contrahi queat, cum parens sibi ipsi obligaretur, quod absurdum est *per l. 19. prim. ff. ad SCTVM Vellejan.* verum ut huic objectioni satis fiat, neglecta Croci solutione dicendum esse putamus, contractum filii familias dupliciter, civiliter nimirum & naturaliter considerari debere; juris civilis vinculum, quod ex consensu contrahentium oritur & acquisitionem quandam continet, statim parenti & quidem ei invito acquiritur *l. 62. ff. de V. O*; nudus vero consensus & naturalis obligatio penes filium remanet: consistit enim in facto, quod nullam nec mutationem, nec translationem, nec etiam fictionem, cum hæc in civilibus solum, non etiam naturalibus obtineat, recipit. *l. 64. ff. de condict. indebit. l. 21. §. 2. de fidejuss.*

### SECTIO III.

D E

#### PACTI RENUNCIATIVI OBJECTO.

**A** Personis ad renunciationis objectum progredimur. Optime autem hanc in rem Julianus scribit *in leg. 41. ff. de minoribus*, quod cuique liceat continere hæc, quæ pro se sunt introducta; Est vero objectum hujus pacti, sicut ex definitione nostra clarescit, *hereditas futura*, seu quæ ab intestato speratur, Patris, Matris, Fratris unius vel plurium:

C 2

sed

fed an etiam juri futuro renunciari possit? quaritur. Vi-  
 detur prima fronte, quod non; cum privationis conceptus  
 nullus sit nisi per habitum; quod argumenti genus *Everb.*  
*intopicis à privatione ad habitum in principio* dicit esse proba-  
 bile, validum & multum utile; Jam vero penes eum, qui  
 juri futuro renunciat, nihil est in habitu: E. nihil etiam e-  
 rit in privatione, & per consequens renunciatio evanesce-  
 rit. Cui ulterius confirmando adducunt *l. 13. ff. de acquirenda*  
*vel amitt. hered. l. 45. §. 1. ff. de legat. 2.* Verum licet hæc  
 maximam veritatis speciem præ se ferant, & ne quid disti-  
 mulum, me in eandem sententiam pene deduxissent; af-  
 firmativam tamen potiorem esse duxi *arg. l. 21. C. mandat.*  
 ubi dicitur, quod quisque rei suæ moderator sit & arbiter,  
 quod non solum de ea quam in præsentia quis habet, sed eti-  
 am quam se certo aliquando habiturum conficit accipi pot-  
 est, nec adeo incommode, cum liceat etiam sui juris perfe-  
 ctionem aut spem futuræ perceptionis deteriorem consti-  
 tuere *l. 46. ff. de pactis.* Primum dubium procedere putem,  
 si omnino nullum renunciationis objectum a sit; hic au-  
 tem aliquod subest quod in quæstione præsupponimus  
 nempe spes Juris sibi obventuri quæ potest alias enim vendi  
*arg. l. 12. ff. de act. empt.* potest etiam in hærede transmitti *§.*  
*5. Inst. de V. O.* quid igitur impediatur quo minus liceat etiam  
 renunciare? cur autem legatum conditionale repudiare  
 non possit; quod secundo movebatur, hujus rationem  
 jam dedimus, quod scilicet ea tantum repudiare possimus, quæ  
 præsentia sunt, & quod quis si velit habere non potest, id  
 repudiare non possit *l. 174. §. 1. ff. de Reg. J.* Cum ergo con-  
 stet Objectum hujus pacti adæquatam & verum esse hære-  
 ditatem futuram, adhuc dubitari potest, an semper futuræ  
 successionis mentio facienda sit, an vero generalis futuro-  
 rum

rum bonorum renunciatio sufficiat? ut si filia in dotis contractu omnibus generaliter juribus, tam paternis quam maternis quæque sibi jam competunt, & in futurum competere possunt renunciaverit, nec ullam mentionem successionis futuræ fecerit, an jus successionis ab intestato pacto hoc inclusisse censeatur? Dubium hocce movet non nemo, qui dicit, successioni ab intestato nullum fieri præjudicium; nam verba ista: quæ competere alicui possunt vel quæ aliquis habere sperat &c. loqui restrictive de casu futuro & propterea intelligi debere de causa aliqua in præsentibus & tempore pacti quæ existat, nec esse ad ea referenda quæ postea ex nova causa oriantur *Dec. Consil. 230.* ut adeo pactum istud sub clausula rebus sic stantibus factum esse videatur. Successionis vero ab intestato causam nec in præsentibus existere, nec esse in spe probat *lex post emancipat. §. 1 ff. de lib. leg.* cum filius in bonis Parentum adhuc in vivis existenti in nullum omnino jus prætereundum valeat *l. precia rerum ff. ad 4. Fal. addatur l. 1. §. si impub. in fin ff. de Collat.* Deinde in successionem ab intestato defertur *l. beris à leg. §. 1. Inst. de hered. qual. & diff.* ea autem quæ ex legibus deferuntur non nisi per expressam & specificam renunciationem tolli *l. fin. C. de indict. vid. toll.* Sed quicquid sit filiam in generali ista renunciatione etiam de successionis jure cogitasse verisimilius est. Generalis namque promissio sive remissio omnes & singulas eas species, quæ generi isti subsunt, comprehendit, non aliter ac si omnes nominatim fuissent enumeratæ & expressæ *l. si duo ff. de administr. tut.* nec ulla species excepta habetur nisi expresse hoc doceatur *l. Lucius in fin. ff. de legat. 2. addo & hoc, quod jura paterna ac materna in hisce tribus principaliter consistant, in alimentatione, dotatione, & successionem, quorum perceptio licet non uno*

Eodemque tempore nat. statim tamen à generatione causa horum liberis competit ut eleganter ostendit *Grotius lib. de jure Belli & Pacis 2. c. 7. §. 4.* eo enim ipso quod quis est filius vel filia alimentari, dotari, & successione paterna frui debet, undè *Plutarch. in lib. elegantiss. de prolis amore; οἱ παῖδες ὡς ὀφείλημα τὸν κληρὸν ἐυδεχόμενοι*, id est: liberi hæreditatem ut sibi oebitam expectant; qui enim dat formam, dat quæ ad formam sunt necessaria dictum est *Aristotelis*: quare qui causa est, ut homo existat is quantum in se est & quantum necesse est prospicere ei debet de his, quæ ad vitam humanam id est naturalem ac socialem (nam ad eam natus est homo) sunt necessaria. Unde licet successio extinctis demum parentibus liberis acquiratur, quia tamen interim in legitima certam spem positam habent, non minus ut paulo ante dixi, atque creditor conditionalis, cujus obligationis causam de præsentì existere dicit, in præsentì etiam causa successions potentur, de eaque disponere poterunt. Renunciatur autem porro vel hæreditati toti, vel certæ ejus parti, ubi tamen priori casu notandum, hujusmodi renunciationem non spectare (1) ad ea, quæ legitimæ loco debentur, nisi, vel quod loco ejus est, v. c. dotem acceperit, vel specialiter etiam legitimæ renunciaverit; (2) non ad ea, quæ filio testamento pater, cum quo is de non succedendo convenit, reliquit: quia pactum & juramentum per testamentum superveniens, remissum intelliguntur *Gail. 2. obs. 148. n. 11.* (3) denique non ad illa, quæ ad hæreditatem, cui renunciatum, non pertinet: Hæc cum notum sit, non facile Nobilem esse familiam, quæ non ex bonis Feudalibus dignitatis suæ & auctoritatem, & sapius etiam sustentationem habeat, quæri jam non inconvenienter potest. An filia sub successions renunciatione etiam bona

na Feudalia comprehendisse intelligatur? Quod multi asserunt: renunciations enim hujusmodi, dicunt, omnino ratione destituentur, juramento si non fuerint suffulta *C. quamvis de pactis in 6t.* hoc autem si dispositioni accesserit, ad omnia ea extenditur, ad qua ratione recti sermonis extendi potest, quia vim consensus specifici habet. *Wesemb. conf. 13. n. 64. Ruin. conf. 67. n. 3 in fin. Corn. conf. 294. n. 9. Vol. 4. Porc. conf. 5. n. 50.* cum ergo in specie, si feudi facta esset renunciatio, promittens efficaciter obstringeretur, uti communiter *Dd. in l. qui Rom. §. duo fratres ff. de V. O.* idem sane etiam in generali successiois renunciatione juramento confirmata dicendum erit. *Wesemb. d. conf. 15. n. 64.* Deinde dicunt, renunciationum pacta non solum successio- num, sed etiam bonorum mentionem habent; at Feudum sub vasalli bonis comprehenditur: *Wesemb. d. Conf. bonorum enim vocabulum omne id denotat, cujus nomine vel actionem vel exceptionem habemus: l. 49. ff. d. V. S.* quare in eum modum si renunciatio fuerit concepta, ad feudum renuncianti nullus erit regressus, prout voluerunt *Bend. in C. Raynutius in verbo si absque liberis 2. in tract. vulgo substit. n. 58. X. de pactis Gallus §. Quidam recte n. 44. ff. de lib. & post Spec. in tit. de locato vers. 158. n. 184. in fin. sententiam suam denique confirmant per c. unicum tit. agn. vel filius def. poss. retin. feud. & c. filius tit. de capit. qui cur. vend. in quibus locis expresse traditur allodialia & feudalia adeo invicem sibi coherere, ut filius rejectis & repudiatis allodialibus ad feudalia aspirare non valeat, sed utraque vel agnoscere, vel repudiare debeat. Quare (dicunt) ex natura conjunctorum dicendum sequitur, filiam & feudo & simul etiam allodialibus renunciare voluisse. Hisce tamen non obstantibus renunciantem hac in parte non excludi*

eludi à feudo frequentius obtinuit Covar. in d. c. quambis  
 p. 3. relect. §. 1. n. 6. de pactis. Rosenthal. c. 9. conclus. 43. n. 8.  
 15. & seqq. Musc. conclus. 7. n. 364. Fridericus Tulemann J. C. Ius  
 quondam incomparabilis Agnatus meus etiam post fata colen-  
 dus part. II. priori disput. 3. tb. 17. Magnif. Dn. Præses in dis-  
 38. tb. 50. Feuda enim non Jure hæreditario & sanguinis  
 ( de quibus pacta nostra principaliter agunt ) sed ex pacto  
 primi acquirentis & voluntate concedentis, item provi-  
 dentia legis liberis acquiruntur Gail. l. 2. observ. 154. n. 2.  
 unde etiam separatam ab allodialibus naturam habent,  
 nec de hisce si fuerit dispositum, illa comprehenduntur  
 Gail. d. observ. Matthe. de afflict. tract. de jur. proximes. in §.  
 totan. 12. non obstantibus hisce quæ in contrarium adducta  
 fuerunt.

## SECTIO IV.

D E

### RENVNC. QUALITATE ET MODO.

**C**VM in præcedentibus de personis ad paciscendum ha-  
 bilibus & objecto renunciationis adequato pro mate-  
 riæ & methodi nostræ ratione actum sit, ordo nunc postu-  
 lat, ut etiam de modo & forma, utpote quæ esse sive essen-  
 tiam cuique rei dare dicitur l. 9. §. 3. ff. ad exhib. paucis aga-  
 mus. Forma igitur hujus pacti essentialis consistit

I. In actione spontanea seu libera homo non liber  
 libere suas actiones peragere habet, ut ostendit Arist. 3. ad  
 Nicomach. 3. Ex quo fluit, ad ejus substantiam requiri  
 consensum & quidem perfectum quem constituit libera  
 & sufficiens rei, de qua agitur cognitio, seu scientia, quæ  
 con-



conscientia recta vocatur ; ubi itaque alterum de est, & quis vel vi metuve ( hæc enim quoad juris usum adeo sollicitè non distinguimus, cum eosdem effectus operentur, ut ostendit *Dn. D. Eichel. in comment. ad Reg. J. c. 9. th. 14.*) non quidem vani hominis ; sed qui in constantissimum quemque merito cadat & qui majoris sit malitatis utri dicitur in *l. 6. ff. quod met. causa* ; vel errore vel dolo ad renunciandum fuerit coactus vel inductus, modus renunciandi dicitur vitiosus : in omnibus enim actibus dolus semper exceptus intelligitur, quia consensum excludit *Magnif. Dn. D. Richter in prælect. pub. ad 9. C. de pactis in resolut. 2. dubii.*

II. In iuramenti præstatione, *d. c. quamvis ibi, si tamen iuramento de pactis in 6t. de iure non alias communi non subsisteret per Xium in l. 25. C. de pactis* ; hinc *Dd.* quum ad renunciationis validitatem præcise iuramentum exigatur per æquipollens adimpleri non posse communiter statuunt, adeo ut manifestum sit, promissionem **Hey Fürstlichen Gräfflichen Adelichen Ehren an Eydes Stadt etc.** hic neutiquam sufficere. *Kellenbentz d. tract. quest. 3. per totum.* Nam etsi, dicunt, præstatio fidei & iuramenti à pari procedant, *Innocent. in c. Christus n. 3. X. de iurejurando*, tamen aliud est quando iuramentum requiritur pro solennitate vel soliditate actus. Verum contrariam sententiam, quod promissio ejusmodi pro iuramento vere & corporaliter præstito quoad vinculum actus atque contractus habeatur, ut ei contraveniri non possit, & proinde actum atque contractum, aut de jure, aut saltem de facto firmet, in specie tventur, *Gæden. consil. 103. n. 58. & 59. Joann. Eichard. consil. 54. n. 2. & 3. Henricus. Branlaus de Renunc. causa. 1. c. 2. n. 10.* quos & ego sequor.

D

Quem-

Quemadmodum enim, si decem Joachimicos loco do-  
 tis filix constituero, aut filio aureos totidem loco legiti-  
 mæ assignavero, ipsamet dos & legitima filix & filio vere  
 constituta intelligitur atque assignata. Ita formulæ nostræ  
 sensus intransitivus hic nimirum est: promitto loco Jura-  
 menti id est jurato; quin & sensus transitivus respectu ad  
 juramentum corporale aut verbale solenne habito eodem  
 recidit, si hic esse statuatur; nolo quidem juramentum  
 corporale aut verbale solenniter præstare, sed promitto &  
 obligo me loco juramenti, *Ich verpflichte mich zu halten  
 an Eydens Statt* / id est, ut in juramentis & jurato fieri solet.  
 Non itaque promittens (quod ambabus largimur) expres-  
 se, solenniter & corporaliter jurat, neque enim ita jura-  
 re vult, sed bene jurat relative & implicite. Sententia er-  
 go relativa erit; at relatum referenti vere inest, quatenus  
 videlicet inesse potest Juribus vulgatis: Ergo promissio-  
 ni huic verum juramentum vere inerit, & si neque corpo-  
 rale, neque verbale solenne illi inesse statuatur; & tunc  
 succedet doctrina quod juramentum sit, ubicunque sim-  
 pliciter promissioni vinculum religionis adjicitur. *Panor-  
 mit. in c. ad aures n. 3. X. quod metus causa*, & DEVS ad  
 confirmationem veritatis implicite vel explicite inter-  
 ponitur *idem in c. Et si Christus n. 3. X. de jurejurando*. Hac  
 sententia consistente, posterius hoc Goedeni, Eichardi, &  
 Brzulaei dogma totius atque probabilius esse minime du-  
 bito, pro quo magni momenti rationes militant: Ratio  
 enim prima ducitur à leg. cessante. *textus n. c. quavis ex*  
 quo tota pacti renunciati materia est desumpta, neque  
 tacturam, neque alia Juramenti solemnia exigit; d. de ju-  
 ramento indistincte & simpliciter loquitur: ergo ut ma-  
 xime in iis casibus, in quibus pro actuum aut contractuum  
 soli

soliditate & solennitate juramentum exigitur, jura civilia corporale & solenne Juramentum requirant, in materia tamen nostra nihil tale exigendum, sed decisioni *textus d. c. quavis* indistincte loquentis simpliciter ubivis locorum standum erit; ubi enim textus non distinguit ne nos quidem distinguere debemus, erubescimus enim sine lege loqui. Alterum fundamentum desumitur à potestate legis deficiente; Etsi enim per constitutiones provinciales & statuta provideri possit, ne juramentum hujusmodi sub præstatione fidei valeat, ubi tamen ejusmodi statuta & similia remedia cessant, perpetuo regula *textus in allegat. c. & jurium concordantium* standum erit. Hinc quod in foro Saxonico ejusmodi formulæ plus quam simplices renunciationes non operentur, & vim juramenti non habeant, non venit ex jure communi, sed provinciali & statutorio, sicut probat expresse Responsum Scabinorum Lipsiensium, quod refert *Magnif. Dn. Carpzov. in tractatu de jure fam. decad. 4. posit. 7. n. 22.* zumahl weil auch in diesen Landen die Verpflichtung bey Fürstlichen und Adlichen Ehren / Treu und Glauben / für eine rechtmäßige Eydliche Obligation nicht zu halten etc. Tertium argumentum ab auctoritate Canonum peti potest; Certum est à jure pontificio pactum hocce suam accepisse firmitatem, & hinc à juris civilis generalitate exorbitare. Jure namque Civili juramentum verbale à corporali distinguitur & pro actu atque contractuum confirmatione juramentum exigitur corporale. At *textus d. c. quavis* nullius solennitatis citra juramentum meminit: stat ergo, omnes hæc formulas non in formula tantum relata, sed in omnibus aliis fidei præstationibus, in quibus promissioni simplici vinculum religionis adjicitur, & DEVS

in confirmationem veritatis implicite & explicite interponitur, ejusdem cum juramento esse efficaciae, sive de Illustribus personis, sive de aliis quærat *Coler. p. 1. c. 10. n. 246. Mynsing. cent. 1. obs. 17. Magnif. Dr. D. Richter. d. 69. n. 7. & seqq. Treut. Vol. 1. disp. 21. lit. A.*

III. Consistit forma hujus pacti in dotis datione: non enim sufficit, ut re & monet *Dn. Hahn.* eam pacto vel stipulatione constitutam esse, sed ut data & accepta sit, *Gail. O. 147. n. 13.* ratio est, tum quod *ext. in d. c.* expresse loquatur de tali casu, tum quod renunciatio alias sine causa foret, & v. g. frater hereditatem petens exceptione doli repelli à sorore possit. *Ant. Fab. 13. error. pragm. 7.* Et nihil interesse puto utrum sit à patre an vero à matre, si hujus quoque bonis renunciatum sit, data, modo sit congrua; sed quaritur; an aucto patrimonio paterno dos constante matrimonio sit augenda? quod negamus cum *Sereniff. Elector. August. l. 2. c. 35.* idque non solum ob dubium atum fortunæ casum, quo fieri potuit, ut diminueretur; *Boerius decis. 62. per tot. Alex. consil. 181. vol. 5. Marant. disp. 10. n. 19. & 22.* sed potissimum quod renunciatio pacti tempore justa atque legitima fuerit: nam juris est manifesti, ea quæ ab initio legitime facta sunt, ex supervenienti casu non annullari *l. nec enim de item. actiue privat. l. sancimus C. de administ. tus. Porc. consil. 112. n. 4.* effectus n. semel inductus durat, licet causa cesset maxime quando fuerit momentanea, ut nostro in casu. Nec subsistere posse puto sententiam *Anton. Fab. existimantis,* non matrimonii, sed mortis paternæ tempus inspiciendum esse *13. error. pragm. 5. in verbis: quia renunciatio ante mortem patris vires nullas habeat & c.* hoc n. si verum esset, dicendum foret, in casu, quo filia fuisset præterita, nullaque suc-

successio ei delata, quasi pacti conditione deficiente renunciationem omnino concidere *l. 8. ff. si quis omnia causa testamenti*. quod tamen ex ipsa Fab. sententia *d. l. Et communi Dd.* traditione falsum est; Quare verius est, non ipsam renunciationis dispositionem sed executionem duntaxat in casum delatae hereditatis conferri; renuntiatio namque puram promissionem habet ejus, quod filiae obtingere potest & non potest. Nam sese ad hoc solum obstringere voluit, ut si quando successio paterna sibi delata fuerit (non ut ad pacti validitatem delatio perpetuo necessaria sit) nolit cum masculis concurrere partemque capere quare pro conditionali haberi non debet; executio enim in eventum aliquem collata dispositionem non reddit conditionalem. *Dec. in leg. in omnibus n. 7. ff. de R. J.* sicut in spei emptione (cui renuntiatio futuræ successionis plurimum æquiparari potest) videre licet.

IV. Consistit etiam forma in hoc, ut patri, de cujus successione renuncianda quaritur pactum renunciativum factum sit, ita enim loquitur *d. l. pactum. C. collat. Et d. e. quamvis*. Aliud tamen est, si de successione quidem patris renuncianda agatur, renuntiatio autem non patri, sed matri aut fratri fiat, id enim tunc nihil ad materiam spectabit.

V. Requiritur, ut sit in renunciatione hereditatis acquirendæ, non acquisitæ; ejusmodi enim remissio neque pactum, neque renunciatio proprie dicitur, sed donatio est, adeo quidem ut sine insinuatione nequaquam subsistat.

VI. Requiritur, ut pater, cui juratum est, involuntate sua perseveret: nam filiae juramentum remittere potest, non modo eam instituendo in testamento, sed etiam ab intestato; taceo quod pater poenitere possit propter

causam aliquam fonticam, sive sibi juratum sit, sive fratribus patre consentiente.

VII. Requiritur, si filia expressim in favorem alicujus ex fratribus aut sororibus renunciat, ut illi presentes sint, quorum utilitas in hoc pacto tractatur, aliud si pactum à filia patri fiat absolute *Covar. d. c. quamvis p. 1. in princip. n. 6.* In istis autem casibus nihil interest, utrum renunciatio fiat judicialiter, an extrajudicialiter; licet non negem, quod modus potremus judicialis scilicet sit frequentissimus, præsertim in terris Saxonis. Sed quæri adhuc potest, an etiam filia minorennis in perficienda successione renunciatione autoritate judicis ejusque approbatione opus habeat? quod prima fronte negandum videtur, *Corn. Conf. n. n. 2. vol. 5.* Jura enim, quæ Judicis decretum in minorum contractibus corroborandis intervenire volunt, bonorum alienationem requirunt. *ut ex Rub. & tot. tit. ff. de reb. eorum qui sub tutel. is autem, qui hereditatem repudiat nihil alienat l. 29. §. qui occas. ff. de V. S. l. 162. ff. de R. J. non enim locupletior esse dicitur, qui jus habet ad eundem hereditatem. Alex. Conf. 153. n. 3. Vol. 3.* E. Sed hoc non obstante affirmativam probabiliorem putamus, scilicet utique opus esse autoritate & decreto: nam per SCtum generaliter minoribus bonorum immobilium & jurium suorum diminutio interdicitur est, adeo quidem, ut nec stipulatio, nec transactio, nec donatio, nec alius quivis alienandi modus, si non judicis autoritas intercesserit, valeat, *l. non solum. & tot. tit. C. de præd. min. non alien.* renunciatio autem veram in alienationem habet (nam per eam filia successione jus agnovisse, & per pactum deinde aliis cessisse sive donasse censetur. *Corn. Conf. 29. n. 11. vol. 4.*) Erg. recte posse colligere arbi-

arbitror, utique hoc in passu decreto & presentia iudicis opus esse. Et hæc de forma dicta sunt.

## SECTIO V.

D E

### EFFECTV RENVNCIATIONIS.

**R**eliquum adhuc est, ut de renunciationis effectu aliquid subnectamus, qui in eo consistit, quod renunciantes nullum regressum habeant ad ea, quibus sese legitime abdicarunt. *l. 14. §. 9. ff. de Edict. edil. l. 4. C. de pactis. Besold. conf. 295. n. 45.* Nam absurdum est, ut ait Justinianus *in l. 11. C. de rebus creditis*, redire ad hoc cui quis renunciandum putavit, ex mutua quippe obligatione, quæ inter personas contrahentes scilicet inter filiam & fratres intercessit, sit ut filia eo nomine à successione, cui renunciavit mortuo parente exceptione pacti removeatur *argum. §. 3. in fin. Instit. de except.* Quia vero renunciatio ita tacitam semper conditionem habet, si hæreditas deferatur, quaeritur, an renunciatio debito modo facta extendatur etiam ad nepotes, ita ut patre suo naturali defuncto iis obstet, quo minus postea ad avi successionem admittantur? dubiam rem facere videntur hæ rationes: 1. quod impedimentum obstitans defuncto etiam obstitet successori *l. 3. ff. de R. I.* ratio rationis est, quia successor melioris conditionis esse non debet, quam is in cuius locum succedit, 2. quod hæres non possit venire contra factum defuncti *l. 7. C. lib. caus. l. 14. C. de rei vindicat.* 3. quod nepotes succedant per representationem personæ paternæ, hic autem personam patris representare non possunt, cum per renunciacionem hæreditatis sese reddiderit incapacem. Verum hæc tanti non sunt,

sunt, ut nos à negantium partibus abducere possint, vel ob unam hanc rationem, quod actus conditionalis conditione deficiente nihil operetur *l. 1. §. 7. C. caduc. tollend.* Cum itaque conditio hæc, si mihi hæreditas deferatur, sub qua hæreditati paternæ renunciavit, eo vivente defecerit, ideoque ea non obstante nepotes ad Avi hæreditatem admittendi *l. 94. ff. de acquirend. vel omittend. hæredit.* quia parentum locum tunc subinfrant (quem mortuo parente suo vacantem inveniunt) non transmissive, sed private, ut notanter Dd. loquuntur, hoc est non ex parentum, sed ex propria persona, autoritate & beneficio legis, *Auth. cessante C. de legit. hæred.* quod immediate habent sine parentum auxilio; renunciaciones enim stricti juris sunt, & quemadmodum non extenduntur ad jus de novo superveniens; ita ne quidem de re ad rem aut de persona ad personam, *Phanuc. de Phanuc. de invent. part. 7. n. 132.* Et hæc quæ dicta sunt eleganter confirmat præjudicium: quod adduxit *Magnif. Dn. D. Richter in expositione dict. Auth. p. m. 131.* Wann gleich eure Kinder erster Ehe wegen ihrer Mütterlichen Erbschaft befriediget / auch ein jedes für seinen Vatertheil / so sie nach euerem Absterben zugewarten gehabt / 100. Gulden genommen / und dagegen alles Väterlichen Antheils sich verziehen / so derselben eines mit Tode abgehet / und Kinder hinterläßt / so euch überleben / ist ihnen berührte Verzicht an der Großväterlichen Erbschaft unschädlich. Ad 1. & 2. dubitandi rationem respondeo, eam præsupponere casum successions, qui contingit renunciante adhuc vivo, ubi & nos concedimus, quod renunciatio, quæ semel effectum sortita est, ad liberos quoque transmittatur, iisque noceat, non quidem principaliter, sed



sed per quamdam consequentiam, tanquam hæredibus. Liberi enim quamdiu parentes naturales vita adhuc potiuntur, nihil juris in bonis Avi prætereundere possunt, cum per parentes utpote gradu proximiores excludantur; quæstio autem de eo est, quo successio casus post mortem renunciationis demum contingit, an ea renunctio nepotibus obstet, & hoc est quod negamus. Nec obstat tertia ratio, non enim sequitur si liberi jure representationis succedunt, ergo representant personam, seu jus ejus cui succedunt; succedunt enim quidem jure representationis (quod vel exinde apparet; quod non in capita, sed in stirpes succedant) verum representant non personam patris, sed gradum. Ex quo fluit, quod renunctio quamvis jurata cum personalis sit *l. 3. §. penult. ff. de jure jurando* nec transmittatur in gradum sequentem, *l. si quis filium C. de inoffic. test.* nepotibus proprio jure venientibus *arg. l. 73. de evict.* nocere non possit. Confer *Magnif. Du. Carpzov. p. 2. constit. Elect. 35. definit. 11.* etsi itaque pactum hocce juramenti religione confirmatum tam firmiter obliget, ut jure Canonico regulariter citra dispendium æternæ salutis contravenire non possit; notandum tamen est, filiam quandoque hoc pacto exclusam perpetuo exclusam non censer, sed cessante ratione renunciationum finali conservacione scilicet familiæ, vel alias inhabilibus redditis personis, quarum causa facta est renunctio ante alios hæredes admitti debere *Gail. obs. 148. n. 10. Muscul. conclus. 6. lit. E. F. G. Du. Habn. dict. tractatu conclus. 84. n. 31.* quod etiam obrinet in hoc casu si renuncians v. g. filia sibi pacto successioem reservaverit, auf einem leydigem Anfall. Reservatio enim conservat jus reservanti *l. 14. §. plerique ff. de relig. sumpt. fun. l. 4. §. quibus mod. pign. solv. Porc. consil. 35. n. 33.*

Præsumitur quippe filia à successione non exclusâ, sed tantum suspensâ, & remoto obstaculo, omnibus quibus ante renunciacionem poterat proportione sua succedit. *Grav. consil. 127.* Cessante enim causa impedimenti & exclusionis, ipsa cessat exclusio & impedimentum *argum. l. fin. §. ait lex ff. de divorc. accedit & hoc, quod ejusmodi renunciaciones sine fricti juris, & propterea non extendendæ. Dec. consil. 379.* sed prout limitatæ sunt intelligendæ, cum consensus sive renunciatio limitata, limitatum soleat producere effectum *l. jubemus C. ad SCTVM Vellejan. l. 16. ff. de acquir. rer. domin. Ruin. consil. 204.* Sed, quid si pactum ita (quod sæpius accidit) concipi soleat? *Verzeihe mich bis auf den letzten meiner Brüder / da derselbe ohne männliche Leibes-Erben würde mit Todt abgehen etc.* Dicendum videtur, si plures exiterint fratres, & unus vel plures ex hiscè relictis masculis, solus vero ultimus sine masculis decesserit, filiam nihilominus ex pacto iterum esse admittendam, cum conditio ad solum ultimum fratrem videatur directa. Cum vero renunciatio donationem quandam in se habeat, Coronidis loco quæri potest; an ea ex supervenientia liberorum rescindi & irrita reddi possit? Ex sententia *Corn. consil. 30. n. 4. vol. 4.* hoc afferendum videtur: nam omnis regulariter immensa donatio tacitam istam conditionem: si non donanti liberi supervenerint: sub se habet. *l. si unquam C. de revoc. donat.* Non enim verisimile est, quod si donans de liberis suscipiendis cogitasset, tantam in alios collaturos fuisset liberalitatem; & quidem tacita ista conditio donationi adeo coheret, ita ut si donanti liberi progignantur, ea nulla egeat revocatione, sed per se tanquam obligationis conditione deficiente concidat, prout voluit *Guid. decis. 214. n. 3. &*

3. & Ruin. *conf.* 270. n. 6. Cum ergo & renunciatio donationibus annumeretur per legem donari ff. de donat. l. donari ff. de R. J. subsistere ea non poterit, si filia liberis postea susceperit. Verum enimvero hoc non obstante contrariam sententiam frequentiore esse ostendunt *Dec. conf.* 881. n. 8. *Alex. conf.* 29. per totum. vol. 3. *Covar. in d. c. quamvis & alii.* Nam præterea quod hæc donationis revocatio, si donans alienationis tempore de liberis cogitabat, vel eos sperabat *c. quicumque* 17. q. 4. l. si unquam l. sitotias *C. de inoffic. donat.* non permittatur hæc renunciatio, non est mera donatio, quia fit ob acceptam dotem in favorem agnationis. Donationis autem nomen non meretur, quod ex causa & merito aliquo procedit. l. 1. §. 27. l. 43. §. 1. ff. de donat.

Plura adhuc agitari possent, nisi ea tractatui potius scribendo, quam disputationi inservirent; quod si cuipiam, non omnia videbuntur ex Apollinis Tripode dicta ille moneat, corrigat, sed placide & sine affectu, moniti Meliora sequemur. Interrim DEO immortalis ago gratias in secula sempiterna.

FINIS.

☉ ○ ☉


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

LIBRARY

1718







Jena, Diss., 1666 S-2



f  
56.

Krit.





inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

4724

1666, 1436

25

DISCEPTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA,  
DE  
**PACTIS RENVNCIATIVIS,**

*Ex c. quamvis 2. de Pactis in VI. & l. fin. C. eodem.*

Oder:

**Von Soffagungs-Vergleichen in Erbschafts-  
und andern Fällen; wie sie einzurichten; und wie weit  
solche in denen Rechten gültig.**

QVAM,

**INCLYTO ICTORVM ORDINE DECERNENTE,  
IN ILLVSTRI PROPTER SALAM ACADEMIA,  
PRAESIDE**

**VIRO MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CON-  
SVLTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO,**

**DN. GEORGIO ADAMO STRVVIO,**

**HEREDITARIO in Uhlstett, ET Wenigen-Jena, ICTO ET ANTE-  
CESSORE LONGE CELEBERRIMO, CONSILIARIO  
SAXONICO EMINENTISSIMO, CVRIAE PROVINCIA-  
LIS VT ET SCABINATVS ADSESSORE MERITISSIMO,  
FACVLTATIS IVRIDICAE SENIORE  
GRAVISSIMO,**

**PATRONO, PROMOTORE AC PRAECEPTORE SVO OMNI  
OBSERVANTIAE AC HONORIS CVLTV PERPETVO DEVENERANDO,  
PVBLICAE LITERATORVM CENSVRAE IN ICTORVM SY-  
NEDRIO HORIS CONSVETIS PRAESENTAT**

D. FEBR. ANNO C. cIo Ioc LXVI.

**CONSEQVTVRVS DOCTORALIA IN VTROQVE**

**IVRE AGONISMATA ET PRIVILEGIA,**

**BVRCHARD HENRICH TILEMANN,**

**PRAVENBRISNICENSIS.**

**LENAE, Recuf. apud IO. BERNHARDVM HELLERVM, 1735.**